



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Eginhartvs De Vita Caroli Magni, Animadversionibvs Illvstratvs

Bessel, Friedrich  
Reinhard, Johann Friedrich

Helmeftadii, 1667

Animadversiones Ad Cap. XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10996

*Ingens valde foret licet, & nimis acriter ortus,  
Auctores ejus privari lumine quosdam,  
Exilio reliquos damnari jusserat ipse  
Rex summè prudens, cujus clementia nulli  
Reddiderat dignam tanto pro crimine pœnam,*

*Luminibus orbati*) Frequens per ea tempora inter graviora nonnunquam supplicia erat *excacatio*, cujus in omni ferè historiâ exempla reperire licet. Bellifarium strenuum illum ducem, simili pœnæ genere, *oculis*, ex invidia, *privatum* stipem emendicasse novelli produnt Historici, Raphaelis Volaterrani *lib. xxiii. Anthrop. ac Petri Criniti lib. ix. cap. 6.* auctoritate nixi. Nescio, unde tantâ quidlibet fingendi homines isti sibi sumpserint licentiam, cum nullus veterum ejus rei vel verbulô meminerit. Et si quid video, inde tracta est narrationis series, quod conspirationis quondam in Imperatorem particeps sit habitus; sed absolutum eundem clarè tradit Sigebertus *ad ann. 562.* scripturus utique si tale quid tanto viro contigisset. Rationem ejus supplicii hanc fuisse puto, quod homines infideles & impudentissimi, nobilissimò fidelitatis ac verecundiæ organô privarentur.

## CAP. XXI.

**C**œterum per omne vitæ suæ tempus, ita cum summo omnium amore atque favore, & domi & foris conversatus est, ut nunquam ei vel minima injustæ crudelitatis nota à quoquam fuisset objecta. † 2.

\* MS. in  
eis suscipi-  
endis.

Amabat peregrinos, & \* eorum suscipiendorum magnam habebat curam, adeo, ut eorum multitudo non solum palatio, verum etiam regno non immeritò videretur onerosa. † Ipse tamen pro magnitudine animi, hujuscemodi pondere minimè gravabatur, cum etiam ingentia incommoda laude liberalitatis ac bonæ famæ mercede compensaret.

## ANIMADVERSIONES

## AD CAP. XXI.

**A** *Mabat peregrinos*) Vitio vertunt hoc peregrinorum studium Carolo multi, & inter ceteros *Vir magnus*, qui Historiam seculi ix & x. nuper complexus est, *in Carolo M. p. 5.* Sed præter Huldericum Mutium *lib. iix.*

tes ipsa Carolo patrociniū debet. Pietate plenum est, inquit Cassiodorus lib. v. Epist. 9. peregrinam gentem publicis beneficiis obligare, & non tantum patri-  
otias ad substantia lucra admittere, sed ipsos quoque advenas invitare. Recte ergo  
Poeta Anonymus de Vita Caroli lib. v. v. 481.

Nemo peregrinos illò plus fertur amâsse;

Nemo pari cura suscipiebat eos.

In quo pene modum pietas excefferat ejus;

Si quid in hoc nimium quisque potest facere.

Nam quod Scriptores Politici peregrinos plerique cum civitate tum offi-  
ciis publicis arcent, ab hospitalitate veterum & rebus publicis quibuscun-  
que maximis nimium quantum abit. Nescio quid in mentem fuerit Iusto  
Lipso, cum isthæc scriberet, notis ad lib. III. Polit. cap. 17. p. 260. Ut, in quam  
domum vestillones veniunt, signum est funeris: sic Republica labentis, ad quam sul-  
ciendam adhibentur peregrini. Durè, inquam, nec pro solita sapientiâ: quâ  
tamen in re summos viros Matthiam Berneggerum *quest. miscel.* 159. &  
Henning. Arnizæum lib. 1. *Doctrina Polit.* cap. 12. p. 275. consentientes habet.  
Ego verò Carolum recte rem reputasse arbitror, exemplò Romanorum,  
qui durante Republicâ suâ à Conditoris Romuli usque asylo, plerosque  
populos primùm hostes, deinde cives habuerunt. Verum hoc quicquid  
est pridem exhaustere doctissimi Viri, Besoldus, *classe 11. disput.* 111. *Thef.* 6.  
Hermannus Kirchnerus *Disput. Polit.* VII. *Thef.* 3. Francisc. Patricius lib. III.  
de *Republ.* tit. 2. Petrus Gregorius Tolofanus lib. IV. de *Republ.* cap. 5. n. 22. &  
qui suis in Tacitum notis æternam nominis famam meruit, Christoph.  
Forstnerus ad lib. XI. *annal. Tacit.* cap. 23. p. 81.

## C A P. XXII.

1. **C**ORPORE fuit amplo atque robusto, staturâ eminen-  
ti, quæ tamen \* justam non excederet: nam septem  
suorum pedum proceritatem, ejus constat habuif-  
se \* mensuram. † Apice capitis rotundò, oculis  
prægrandibus ac vegetis, naso paululum mediocritatem  
excedente, canitie pulchrâ, facie læta & hilari: unde formæ  
authoritas ac dignitas tam stanti quam sedenti plurima \*  
3. inerat. † Quamquam cervix obesa & brevior, venterque  
projectior videretur, tamen hæc cæterorum membrorum  
celabat æqualitas, incessu firmò, totaque corporis habitu-  
dine

\* Deest  
vox ista in  
Cod. Flor.  
\* Sic MS.  
Vulgò: *fi-  
guram.*

\* MS.  
*adquirebat  
tur.*